

electio legatarū est. — Quod si testator verba simpliciter proferat, ita, ut non appareat, ad quem verba direxerit, et exinde dubium maneat: electio legatario tanquam debitori competit. Dynus, *hic*, n. 4; Barb. *hic*, n. 15, cum communi aliorum. arg. cit. l. *Lucio Titio*, ubi summarium sic habet: « In alternativis in dubio electio est legatarii, » juncto § 22, instit. *de Legat.* ibi: « Si generaliter servus, vel alia res legetur, electio legatarii est: nisi aliud testator dixerit. » Et ratio est, quia « in testamentis plenius voluntates testantium interpretantur, » sunt verba l. 12, ff. *de Reg. jur.*; Barbos. et Dyn., loc. cit.

19. *Quoad alteram partem, quod sufficiat unum præstare, fallit regula primo in alternativis certarum personarum: et quarum?* — Quoad alteram partem regulæ, quod sufficiat unum ex alternativis implere, » fallit regula primo, in alternativis personarum, quæ testamentis, legatis, libertatibus, et tutorum assignationibus inferuntur, ut « cum quidam sic, vel institutionem, vel legatum, vel fideicommissum, vel libertatem, vel tutelam scripisset: ille, aut ille mihi hæres esto: aut illi vel illi lego, do, vel dari volo: vel illum, vel illum liberum, aut tutorem esse volo, vel jubeo: » uti exemplificat ipsa l. *Cum quidam*, 4, c. *de Verb. signif.* quia in his disjunctiva dictio, *vel, aut*, in copulativam *et, ac*, resolvitur, indeque non sufficit unum, sed requiritur utrumque impleri cit. l. *Cum quidam*, §. *Melius*, ubi universaliter disponitur, quod in hujusmodi dispositionibus plures disjunctive nominati, non disjunctive, sed copulative accipiendi sint, ne aliquis eorum commodo testatoris privetur; ibi: « Melius itaque nobis visum est, omni hujusmodi verbositate explosa, conjunctionem *aut*, pro *et* accipi, ut videatur copulativo modo esse prolata ut et primam personam inducat, et secundum non repellat. » Barbos., *hic*, n. 30; Strein. *hic* et alii.

20. *Fallit secundo, quando adhibetur particula seu; hæc plerumque pro conjunctiva sumitur.* — Fallit secundo, quando alternativa concipiuntur per dictionem *seu*; quia hæc dictio plerumque plus copulandi, quam disjungendi vim habet l. *Si quis ita*, 30, ff. *de Auro et argent. legat.* ibi: « Si quis ita legaverit: uxori meæ mundum, ornamenta, seu, quæ ejus causa paravi, do, lego: placet omnia deberi, sicut cum ita legatur: Titio vina, quæ in urbe habeo, seu in portu, do, lego, omnia deberi. Hoc enim verbum seu

ampliandi legati gratia positum est. » Quæ fallentia in favorabilibus, uti testamentis, legatis, et aliis quæ amplam interpretationem recipiunt, potissimum procedit juxta Abbatem; cum vero universaliter non currat, in reliquis ex subjecta materia, et aliis circumstantiis num dictio seu copulative, vel disjunctive accipienda sit, judicium formandum erit. Strein. *hic*.

21. *Fallit tertio in alternativis inter genus et speciem.* — Fallit tertio in alternativis inter genus et speciem; quia in his propositio disjunctiva pro copulativa sumitur. Strein. *hic*, n. 32, cum communi aliorum. l. *Sæpe ita*, 53, §. *Et cum dicimus*, ff. *de Verb. signif.* cum concord.

22. *Et quarto fallit quoad utramque partem, quando aliunde de mente disponentis aliter constat.* — Fallit quarto regula quoad utramque partem, quando mens disponentis ex subjecta materia, scopo, vel fine dispositionis alia esse apparet: vel alias iniquitas, aut absurdum sequeretur. Barbos. *hic*, n. 34, arg. l. *Generaliter*, 6, c. *de Instit. et substit.* et l. *Lucius*, 2, ff. *de Hæred. instit.* cum concord.

REGULA LXXI.

QUI AD AGENDUM ADMITTITUR, EST AD EXCIPIENDUM MULTO MAGIS ADMITTENDUS.

1. *Regula unde?* — Desumpta habetur hæc regula ex l. 1, § 4, ff. *de Superficiebus*, ibi: « Cui damus actionem, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit, » quod idem dicitur l. *Invitus*, 156, § 1, ff. *de Reg. jur.* « Cui damus actiones, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit. »

2. *Quomodo intelligenda?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. regulam intelligendam esse, et procedere tunc solummodo, quando de eodem, et ad idem agitur, ac excipitur, ut bene advertit Glossa marginalis *hic*, communiter recepta. Item quando non adest ratio specialis exceptionem magis, quam actionem repellens, prout patebit ex fallentiis infra a n. 5 adducendis. Hinc

3. *Ponitur verus sensus illius.* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est: Quando alicui de jure competit actio pro re aliqua acquirenda, eidem etiam, et multo magis compe-

tit exceptio pro eadem, si habet retinenda ad excludendam actionem, quam alius pro eadem re instituit. » Ratio est, tum quia « cui licet quod est plus, licet utique, quod est minus, » juxta reg. 53, *de Reg. jur.* in 6. Plus autem est agere, quam excipere; cum non raro, cui denegatur actio, concedatur exceptio arg. c. *Cum inter*, 5, *de Except.* utpote quæ tanquam sui defensio in majore æquitate fundatur l. *Qui æquitate*, 12, ff. *de Doli mali except.*, tum quia exceptio tendit ad rei retentionem, quæ facilius conceditur quam acquisitio illius, qualem intendit actio l. *Per retentionem*, 4, c. *de Usur.*; tum quia exceptione utens repræsentat personam rei actionem vero instituens personam Actoris sed « favorabiliores rei potius, quam actores habentur. » l. 125, ff. *de Reg. jur.* quibus accedit jura promptiora esse ad absolvendum, et liberandum, quod quærit excipiens, quam condemnandum, et obligandum, quod intendit actionem instituens. l. *Arianus*, 47, ff. *de Obligat. et action.*, consequenter, cui de jure competit actio pro aliqua re acquirenda, multo magis ei competit exceptio pro illa retinenda.

4. *Declaratur exemplis juris.* — Declaratur et firmatur regula, ejusque sensus exemplis juris. Sic enim, uti exemplificat Glossa *hic*, quia ei, qui post legitimam rei præscriptionem dejicitur a possessione, competit actio, multo magis ei competit exceptio pro eadem re retinenda, dum eam possidet, arg. can. *Placuit*, 15, cau. 16. q. 3, juncta l. *Si quis*, 8, c. *de Præscript. trigint. vel quadrag. annor.* Sic pariter, si alicui competit actio, et vindicatio contra possessorem, multo magis competit exceptio, si rem possidet, contra alium actorem, eandem rem vindicare volentem. l. 1, § 4, ff. *de Superficiebus*. Sic rursus, quia conductor rei alienæ ad longum tempus competit actio, et vindicatio utilis in rem contra possessorem etiam dominum: sic eidem quoque competit exceptio contra eundem dominum. arg. cit. l. 1, § 3, ff. eod. Sic ulterius, quia viro contra uxorem adulteram competit actio ad divortium c. *Ex litteris*, 5, *de Divortiis*, sic contra eandem ei competit exceptio pro reditu ad virum actionem instituentem. c. 4, eod.

5. *Fallit primo in spolio.* — Quæritur II. An et quas fallentias habeat regula 71? Resp. eam fallere in pluribus, veluti primo, si quis vi spoliatur possessione, et agendo restitutionem petit, non competit spoliatori excep-

tio domini, dicendo, se esse rei dominum, et alterum injustum possessorem, licet facta restitutione possit contra spoliatum agere c. 1, et c. *In litteris*, 5, *de restit. spoliat.* prout amplius diximus lib. II, tit. XIII, *de Restit. spoliat.*

6. *Fallit secundo, in casu electionis jam confirmatæ.* — Fallit secundo, in casu electionis jam confirmatæ, in quo non datur exceptio contra missionem prælati in possessionem, etsi contra eandem in possessionem jam missi detur actio, *Constitutis*, 46, *de Appellat.*, et c. *Indemnitatibus*, 43, § *Cæterum, de Elect.*, in 6. Idque speciali ratione ob favorem Ecclesiæ, vel monasterii, utpote quibus diuturna prælati carentia, quam exceptio admissa causaret, et præjudiciosa Ecclesiæ, et animabus periculosa.

7. *Fallit tertio, in casu solutionis usurarum juramento firmatarum.* — Fallit tertio, in casu solutionis usurarum, quas solvere debitor jurejurando promisit; in tali enim casu licet post solutionem jam factam competat actio ad obtinendam restitutionem usurarum jam solutarum, tamen eidem non competit exceptio, contra solutionem præstandam, textu claro, c. *Debitores*, 5, *de Jurejurando*. Ratio specialis est, quia ob virtutem religionis juramentum, quod sine dispendio salutis animæ, et præjudicio tertii servari potest, semper servari debet, c. *Cum contingat*, 28, *de Jurejur.* et c. *Quamvis*, 2, *de Pactis*, in 6, ubi pactum, etiam a jure civili reprobatum observari jubetur, si juramento fuit firmatum; « cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec in alterius detrimentum, » uti dicitur ibidem.

8. *Fallit quarto, in casu depositi: et quomodo?* — Fallit quarto in casu depositi, licet enim depositarius habeat actionem contra deponentem, si ei debeat; exceptione tamen uti non potest titulo compensationis, si deponens repetat depositum, c. fin. v. *Sane de Deposito*, et l. *Si quis*, 11, c. *Depositum*, ibi: « Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depositionis acceperit titulum, eas volenti ei, qui deposuit, reddere illico modis omnibus compellatur nullamque compensationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat, quasi et ipse contra eum, qui deposuit, actiones personales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens. » Ratio in utroque jure specialis allegatur illa, ne contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur.

REGULA LXXII.

QUI FACIT PER ALIUM, EST PERINDE, AC SI FACIAT PER SE IPSUM.

1. *Regula unde?* — Desumitur regula et ex l. *Quod jussu alterius*, 180, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Quod jussu alterius solvitur, perinde est, quasi ipsi solutum esset. »

2. *Differt a regula: Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum et quomodo?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus ipsius sensus sit? Resp. Quamvis ista regula convenire videatur cum regula 68: « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum; » tamen ab ea differt, tum quia primum dicta regula loquitur de potestate faciendi per alium; præsens vero de vi, et effectu actus per alium jam facti; tum quia isthæc regula loquitur generaliter ut etiam comprehendat maleficia, quatenus non solum ille, qui bona, sed etiam qui mala et iniqua per alium facit, v. g. hominem occidit, vulnerat, etc., perinde est, et homicidii reus habetur, ac si ipse in persona occidisset. arg. l. *Is damnatum*, 169, ff. *de Reg. jur.* « Is damnatum dat, qui jubet dare; » et patebit per exempla juris infra numer. 4, adducenda. Non sic regula 68, utpote quæ de licitis loquitur, uti patet ex dictis ad eandem. Verbum autem *perinde* non est intelligendum, quasi esset idem utriusque actus, sed quia fictione, et interpretatione quoad effectum pro eodem habetur. Et concernit hæc regula potissimum mandatarios, procuratores substitutos, delegatos, ministros officiales, servos, utpote per quos sæpissime negotia nostra et alia facimus, et quod per hos facimus, quoad juris effectum pro eodem habeatur, ac si ipsi faceremus. Hinc

3. *Ponitur regulæ sensus.* — Resp. II. Verus regulæ sensus sequens est: « Quod quis per alium sive bene, sive male facit, quoad juris effectum pro eodem habetur, ac si faceret per se ipsum. » Ratio regulæ est, quia ille, mandat, delegat, substituit, etc., ut quid per alium fiat, est principalis causa et origo facti secuti: hoc ipso, quod factum non esset, si ipse non mandasset; consequenter factum tale eidem merito ita imputatur, ac si ipse fecisset, argum. cit. l. *Is damnatum*, 169, ff. *de Reg. jur.*, et l. *Hæc actio*, 4, ff. *Si Mentor fals. mod. dixer.*

4. *Declaratur exemplis: in bonis.* — Decla-

ratur regula exemplis juris. Sic enim, qui debitum suum per alium solvit, perinde habetur, ac si ipse solvisset. cit. l. *Quod jussu.*, 180, ff. *de Reg. jur.* Sic etiam, qui mandat, ut suus debitor id, quod debet, solvat mandantis creditori, perinde est, ac si ipse solvisset, l. *Cum jussu*, 64, ff. *de Solut.*, ibi: « Cum jussu meo id, quod mihi debet solvis creditori meo, et tu a me, et ego a creditore meo liberor. » et l. *Singularia* 15, ff. *de Reb. creditis si certum*. Sic pariter, si quis per procuratorem juramentum deponit, perinde est, ac si ipse jurasset. Clem. 1, *de Jurejur.* Sic rursus, qui per delegatum fert sententiam, perinde est, ac si ipse eam tulisset, l. *Etsi*, 3, ff. *de Offic. ejus, qui mandat*. Sic ulterius, si quis per procuratorem contrahit matrimonium, perinde est, ac si ipse in persona illud contraxisset, c. fin. *de Procurat.* in 6. Sic alia innumera exempla passim habentur in jure.

5. *Declaratur in malis.* — Ponuntur etiam exempla juris ex Dyno de maleficiis, seu malefactis per alium. Sic enim qui alium vi dejicit a possessione, perinde est, et tenetur edicto. *Unde vi*, ac si ipse in persona eum dejecisset, l. 1, § 12, ff. *de Vi, et vi armat.* ibi: « Dejecisse autem etiam videtur, qui mandavit, vel jussit. » Sic etiam actione injuriarum tenetur, sive per se, sive per alium calumnia quis inferat. l. *Non solum*, 5, C. *de pr. ff. de Injuriis*. Sic rursus æque pro homicida habetur, et ut talis punitur, qui per alium occidit, ac si per se ipsum occidisset. l. *Nos ideo*, 11, *Accus.* cum concord. Sic insuper qui per alium percutit clericum, vel manus violentas injicit, æque incurrit excommunicationem, ac si per se ipsum percussisset. c. *Mulieres*, 6, § fin. *de Sentent. excomm.* ubi etiam ratio additur illis verbis: « Cum is committat vere, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur. » Sic plurima alia in jure habentur exempla.

6. *Solvitur objectio.* — Objicies primo: Si Mævius Stycho mandavit, ut jubeat fieri opus aliquod, et id fieri Stycho jussit; in casu emergentiæ non Stycho jubens, sed Mævius est conveniendus, l. *Aut qui aliter*, 5, § 12, ff. *Quod vi, aut clam*, ibi: « Si tibi mandavero, ut opus fieri juberet et in ea re mihi parueris, mecum, inquit, non tecum erit actio; » ergo non semper, quod per alium quis facit, per se ipsum facere censetur. Resp. neg. conseq. quia regula intelligenda est duntaxat de principali mandante, jubente,

volente, ut quid per alium fiat: non de intermediis personis, quæ non proprio, sed principalis mandantis nomine quid fieri jubent, uti aperte patet ex ipsa l. *Aut qui aliter*. in contrarium citata. Hoc tamen intellige de contractibus, et aliis apparentibus licitis per alium factis. Secus est, si a Mævio principali maleficium, v. g. rapina, furtum, aut homicidium mandetur; tunc enim non solum principalis mandans, et delictum actu perpetrans, sed etiam concurrentes, et consentientes rei reputantur, ac pœna plectuntur. can. *Omnes*, 5, cau. 17, q. 4, ibi: « Omnes Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores a liminibus Sanctæ Matris Ecclesiæ anathematizamus, auctoritate apostolica pellimus, et damnamus, atque sacrilogos esse judicamus: et non solum eos, sed omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt, rei judicantur, sed etiam, qui consentiunt facientibus. Par enim pœna et agentes, et consentientes comprehendit. »

7. *Obstetrix an, et quando delinquant præbendo, vel suadendo medicinam?* — Objicitur secundo. l. *Item, si obstetrix*, 9, pr. ff. *ad Legem Aquiliam*, ubi aperte statui videtur, quod non idem sit, homicidium committere, et causam homicidii præbere, ibi: « Si obstetrix medicamentum dederit, et mulier perierit, Labeo distinguit: ut si quidem suis manibus supposuit, videatur occidisse: sin vero dedit, ut sibi mulier offerret, in factum actionem dandam. Quæ sententia vera est; magis enim causam mortis præstitit, quam occidit. » Resp. in hac objectione, et lege solvenda multum desudare doctores: vel enim obstetrix occidendi animo medicamentum dedit aut suasit: vel bona, et medendi intentione, mortis periculo nullatenus præviso; si modo posteriori contigit, obstetrix absque culpa et pœna est; quia « in maleficiis voluntas spectatur, non exitus; » ut dicitur l. *Divus*, 14, ff. *Legem Cornel. de sicariis*. Si vero priori modo contigit: homicidii, et pœnarum illius rea erit; quia sive per se, sive per alium quis occidat, vel mortis causam culpabiliter præbeat, de homicidio tenetur, tum per jura citata: tum per textum satis clarum, l. *Nihil interest*, 15, ff. *ad Legem Cornel. de sicar.*, ibi: « Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat. » Hinc, quia cit. l. *Item, si obstetrix*; si nudus verborum sensus spectetur, primum dictæ legi, et aliis juribus aperte videtur contraria, Streinius dicere non dubitavit, quod La-

beonis per eam allegata sententia dura, et minus vera, nec tam Labeonis, quam judicio labentis et errantis dicenda sit, nisi benigna interpretatione, jura concordante, corrigatur.

8. *Fallit regula in iis, in quibus fallit regula 68.* — Quæritur II. An et quas fallentias habeat hæc regula? Resp. eam in iis omnibus fallere, in quibus fallit regula 68, hoc ipso, quod in casibus ibidem a num. 8, allegatis non possit quis facere per alium, quod facere in persona propria debet: non inde habetur, si tale quid per alium facit, quod ipsemet in persona facere tenetur.

REGULA LXXIII.

FACTUM LEGITIME RETRACTARI NON DEBET, LICET CASUS POSTEA EVENIAT A QUO NON POTUIT INCHOARI.

1. *Regula unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *In ambiguis*, 85, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent: licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt, » et l. *Nec enim*, 2, ff. *de Itinere, actuque privato*, ibi: « Nec enim corrumpi, aut mutari, quod recte transactum est, superveniente delicto potest. »

2. *Quomodo intelligenda? Declaratur exemplis juris.* — Quæritur. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I, eam sic esse intelligendam: quando aliquid legitime, id est, juxta præscriptum legum valide fit, valorem non amittit, nec retractari, vel annullari potest, aut debet, etiam si postea superveniat casus, aut circumstantiæ, qui, si prius et antequam actus fuit factus, extitissent, inchoari, et fieri non potuissent. Sic v. g. matrimonium valide et legitime contractum valorem non amittit, nec retractari, aut annullari potest vel debet, si postea unus vel uterque conjugum incidat in amentiam, quæ antea existens matrimonium valide contrahere impedivisset. Can. *Neque furiosus*, 26, cau. 32, q. 7, ibi: « Necque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur. » Idem est, si affinitas superveniat, uti si vir cognoscat sororem uxoris suæ; quia etsi hujusmodi affinitas sit impedimentum dirimens, et ante matrimonium existens faciat, quod inchoari, et valide contrahi non queat; tamen post matrimonium

primum eveniens, hoc non dissolvit, c. *Discretionem*, 6, c. penult. et ult. *de Eo, qui cognovit consanguin. uxor. suæ.*

3. Sic pariter, licet furiosi testamentum facere non valeant, tamen si furor testatoris primum post testamentum eveniat, testamentum non invalidatur. § 4. *Instit. Quibus non est permittum facere testamentum.* ibi: « Testamentum facere non possunt furiosi, quia mente carent, » et infra: « Certe eo, quod ante furorem fecerint, testamento valente. » Ratio additur: « Nam neque testamentum recte factum, neque ullum aliud negotium recte gestum postea furor interveniens perimit. »

4. Sic rursus, si quis rem legitime præscripsit, potest eam valide et licite, tutaque conscientia retinere, etiamsi post completam præscriptionem certo sciat, rem fuisse alienam; quia licet hujusmodi scientia, si ante inchoatam, vel completam præscriptionem extitisset, præscriptio inchoari, aut continuari non potuisset c. *Vigilanti*, 5, et c. fin. *de Præscript.*, superveniens vero eam legitime jam completam non invalidat, aut vitiat, sed in utroque foro adhuc validam relinquit, prout jam diximus lib. II, tit. XXVI, a. n. 21.

5. Sic ulterius, si quis a patrono, in possessione existente, ad beneficium præsentatus canonice instituitur, beneficium valide et licite retinet, licet patronus postea juspatronatus in judicio perdat, c. *Consultationibus*, 19, *de Jurepatronat.* ubi summarium sic habet: « Institutus ad præsentationem ejus, qui tunc juspatronatus ecclesiæ possidebat, removeri non debet, licet illud jus ab eo postmodum evincatur, » quæ evictio si ante præsentationem extitisset, utique nec præsentatio a Patrono, nec institutio fieri potuisset. Sic innumera alia exempla reperiuntur in jure.

6. *Non nisi de actibus legitime factis, et completis procedit: idque docetur exemplis juris.* — Singulariter tamen notandum, regulam nostram solummodo intelligendam esse de actibus legitime factis, perfectis, et consummatis; quia si actus legitime non fit, subintrat alia regula: « Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, » c. *Non firmatur*, 18, *de Reg. jur.* in 6. Dein si legitime inchoatur quidem, attamen substantialiter non perficitur et completur, regulariter invalidatur actus, si supervenit casus, vel circumstantia, quæ si ante initium actus extitisset, hic inchoari non potuisset, ut plu-

ribus ostendit Dyn. *hic. arg. l. Pluribus*, 140, ff. *de Verb. obligat.* Sic testamentum legitime quidem inchoatum, sed ob amentiam testatoris non perfectum, invalidum existit ob talem supervenientem amentiam, utpote, quæ si prius extitisset, nec inchoationem testamenti permisisset, cit. § 1. *Instit. Quibus non est permittum facere testam.* Sic etiam præscriptio legitime inchoata, et continuata, sed debito tempore nondum completa evanescit per supervenientem notitiam, rem esse alienam; cum hæc scientia, si ab initio penes præscribere volentem fuisset, præscriptionem inchoare non permisisset ex defectu bonæ fidei; c. *Vigilanti*, 5 et c. fin. *de Præscript.*

7. Sic ulterius stipulatio servitutis, viæ, vel itineris in fundo evanescit, si ante completam stipulationem fundus alienatur, l. *Pro parte*, 11, ff. *de Servitut.* Sic rursus sponsalia, seu promissio de futuro matrimonio tolluntur, si, antequam matrimonium de præsentia actu contrahitur, superveniat causa, qua prius existente, sponsalia contrahere non licuisset; veluti si post sponsalia de futuro unus sponsorum cum alio contrahit matrimonium de præsentia, vel impedimentum dirimens affinitatis contrahit. c. *Sicut*, 22 et c. *Si inter*, 31, *de Spons. et matrim.*

8. *Ponitur versus regulæ sensus.* — Resp. II. Verus regulæ sensus sequens est: « Quidquid aliquando legitime factum, et in suo genere substantialiter perfectum, seu completum est, nec a facientibus, nec ab aliis retractari, vel aliunde invalidari potest; nec invalidum evadit, etiamsi casus, vel circumstantiæ superveniant, quæ, si prius extitissent, inchoationi ejusdem, et valori obstitissent. » Per jura, et exempla juris jam allegata. Ratio est bonum commune reipublicæ, quæ utique graviter pateretur, et in gravem confusionem, litiumque nocivam copiam incideret, si actus, contractus, sententiæ, et alia negotia, legitime gesta, completa, et absoluta rescissioni adhuc subjacerent, vel ex se invalida evaderent, casu quo causæ, vel circumstantiæ emergant, quibus ante initium actus existentibus, actus inchoari non potuisset; præsertim cum exinde graviter præjudicaretur necessario commercio humano, cunctis diffidentibus, et contractus, atque alia negotia horrentibus, si rerum dominia, jura, et emolumenta legitime obtenta forent incerta, et futuris casibus, ac circumstantiis emergentibus, quæ ab initio obstitissent, iterum perirent. Boni

communis autem, et reipublicæ summa ratio est habenda, arg. can. *Scias frater*, 35, cau. 7. q. 1, cum concord.

9. *Solvitur textus ei contrarius.* — Contra regulam principaliter objicitur l. *Pluribus*, 140, § 2, ff. *de Verb. oblig.* ubi videtur adesse textus nostræ regulæ aperte contrarius; sic enim sonat: « Placeat extinguere obligationem, si in eum casum inciderit, a quo incipere non potest. Non tamen hoc in omnibus verum est, » quia et alii juris textus fere similes doctores præsertim vero Peckium adeo fatigant, ut dicere hic non dubitarit, nihil circa hoc in toto jure magis incertum, et perplexum esse. Dynus autem mitius sentiendo ait, conciliari posse præfatam, et alios juris textus regulæ nostræ apparenter contrarios, si dicatur, eos loqui de actibus substantialiter necdum perfectis et completis, quos superveniente casu, vel circumstantia, inchoationi actus obistente, retractari posse vel ex se ipsis evanescere, quod regula nostra ipsamet vult per dicta supra n. 6. Fundaturque hæc responsio in eo, quod textui regulæ apparenter contrario statim subjungatur: « Non tamen hoc in omnibus verum est. » Strein vero non multum se fatigans ait se textus juris civilis in eo, ubi non concordant cum nostra regula juris canonici, pro non insertis habere, eosque profani juris studiosis committere.

10. *Supervenientes causæ, quæ ab initio existentes actui obstitissent, etsi actum perfectum non amplius impediunt, tamen sæpe impediunt effectum illius.* — Notandum tamen, quod, licet juxta hæc dicta, legitime facta et completa retractari nequeant, nec invalida evadant ob supervenientem causam, quæ prius existens inchoationem actus impediisset: tamen nonnunquam per hujusmodi supervenientem causam impediatur effectus actus valide, et legitime peracti, ac perfecti, uti patet in arreptitiis, et epilepticis; cum licet eorum superveniens infirmitas ordines legitime collatos non invalidet, effectum tamen eorum impediatur; quia hujusmodi infirmitate gravati sacris altaribus ministrare et ordines exercere non valent, can. *Communiter*, 3, dist. 33, ibi: « Communiter diffinimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris altaribus audeant ministrare, vel in-discusse se ingerant sacramentis divinis, exceptis illis, qui corporis incommoditatibus

dediti, sine hujusmodi passionibus in terram probantur elisi, qui tamen et ipsi tandiu erunt ab officii sui ordine, et loco suspensi, quousque unius anni spatium, per discretionem episcopi inveniantur ab incursu dæmonum liberati. » Qui textus circa tales infirmos bene est notandus. Idem cum proportionem dic de presbytero, cui mediæ palmæ est abscissa, vel qui est leprosus, textu claro *Presbyterum*, 2, et c. *Tua nos*, 4, *de Clerico ægrotante.*

REGULA LXXIV.

QUOD ALICUI GRATIOSE CONCEDITUR, TRAHI NON DEBET AB ALIIS IN EXEMPLUM.

1. *Regula unde?* — Desumptam aiunt hanc regulam ex l. 1, ff. *de Const. princip.* ibi: « Nam quod princeps alicui ob merita indulset, vel si quam pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur. » Concordat, et affinis est regula 7, *de Reg. jur.* in 6. « Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona. » et reg. 28, eod. « Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. » De quibus vide supra suo loco, et applicanda etiam hic applica.

2. *Quomodo intelligenda?* — Queritur, quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. regulam loqui, et intelligendam esse de iis favoribus, gratiis, etc., quæ a Papa, vel alio supremo principe alicui in specie, ex speciali ratione, vel beneplacito conceduntur contra, vel ultra jus commune, et velle, ne hæc in exemplum, vel consequentiam, etiam ob paritatem rationis ab aliis trahantur. Hinc

3. *Ponitur versus sensus illius.* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est: « Quod alicui in singulari ex speciali favore, et gratia a Papa, vel alio supremo principe contra, vel ultra jus conceditur, ab aliis trahi non debet in exemplum, vel consequentiam, ita, ut existiment, id sibi quoque in simili casu, et existente eadem ratione licitum. » Per jura, et juris regulas n. 1 allegatas. Ratio regulæ est, quia favores et gratiæ specialiter contra jus, vires suas præcise recipiunt ab intentione et voluntate concedentis. *Vivianus hic*, arg. c. 2, *de Rescript.* intentio autem, et voluntas concedentis non est, ut quod alicui in singulari ex speciali favore et gratia impertitur, ad alios extendatur, sed tanquam